

Hs. fol. 28^{cd}.

Regi Ungarie illustri.

Ascendit in celum fumus sulphureus ex carbonibus ignis inter patrem et filium dampnabili commotione succensi. Merito siquidem apud Dei et hominum inimicum causa turbationis invenitur^{a)}, dum ipse contra legis debitum naturalis patrem insurgere inducit in filium et filium in parentem¹⁾. Tenetur enim genitor illum, quem genuit, eadem dilectione proseguere, qua proseguitur semet ipsum. Filius etiam paternam virgam et baculum necnon et patris imperium debet omnimodo cum tolerantia supportare. Absit enim, quod inter illos habeatur animorum disparitas, quos fecit pares eiusdem prosapia generis et sanguinis identitas copulavit. Et ideo non sine vehementi cordis amaritudine nuper accepimus, quod operante humani generis inimico inter te et karissimum filium nostrum illustrem regem S. primogenitum tuum gravis est dissensionis materia suscitata, que non solum vobis et regno tuo, sed diversis orthodoxis nationibus multipliciter est dampnosa. Profecto multiplex animarum, corporum et terre fameque dampnum importat, nam dum odium invicem nutriendas vestram in partes dividitis unitatem, Deum patrem offenditis, adherentium vobis personas periculo mortis exponitis, extenuatis vires proprias et inimicorum fortitudinem in ipsius regni dispendium roboratis ac nominis vestri titulos traditis linguis gentium variis oblocutionibus lacerandos. Attende, quesumus, quid dicitur, dum auditur, quod rex Ungarie persequitur eius filium et patitur persecutiones ab ipso! Qua excusatione deffendi poteritis, quin uterque vestrum tamquam culpabilis accusetur? Ubi est mansuetudo patris, cum a filio interdum forsitan offenditur? Ubi devotio filii latitat, cum patrem revereri contempnit vel eum non veretur contumeliis provocare? Hoc igitur exhortatio nostra desiderat, hoc intendimus et cum instantia postulamus, ut cuiuslibet dissensionis errore fugato ad pacis redeatis amplexus sitque in vobis unionis insolubile vinculum, sit identitas cordium et dilectionis mutue plenitudo, ut a creatoris recedentes offensa et consolidatis rancoris concepti vulneribus predictum regnum ab alienigenarum sitientium eius sanguinem exterminio preservetis et obtatam^{b)} quietem^{c)} subiectis vobis populis tribuatis. Ut autem super hiis desideriis nostris cooperante unigenito Dei filio domino Iesu Christo celerem sortiamur effectum, unum ex fratribus nostris ecclesie Romane cardinalibus ad partes illas in brevi destinare proponimus ad pacem

a) Dei — invenitur *Lesung unsicher*

b) *so statt optatam*

c) *quiete Hs.*

¹⁾ *Vgl. Matth. 10, 21.*